



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Sententia Augustini & aliorum doctorum, de vnitate Ecclesiæ. tit. 185

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

ascimur, Psalm. 50. Eccè in iniquitatibus conceptus  
 sum: quid ad hoc potest puer, quia in peccato origina  
 li nascitur? Attamen nisi crediderit in Christum, &  
 baptizatus fuerit, damnabitur, Mar. vlt. Sic infantes  
 baptizati in schismate, aut à parentibus coacti extra  
 Ecclesiam manere, licet ipsi nihil ad hoc contradicere  
 possunt, nisi tamen redierint ad vnionē Ecclesiæ Ca  
 tholicæ, postquā agnouerint veritatē, non saluantur  
 Gal. 5. Sectæ regnum Dei non possidebunt. Sed de ig  
 norantibus nouit Deus suum iudicium: ergò pueri  
 clamabunt in nouissimo die aduersus suos parentes,  
 qui se spoliârunt vnione Catholica. Ergò hæc scire o  
 portet. Et si in baptismo gratiã accipiant, ilicò tamen  
 labes schismatis tollit, & redeunt peccata, sicuti con  
 trigit seruo nequam, Matt. 25.

*SENTENTIA AUGUSTINI  
 & aliorum doctorum, de vnitae  
 Ecclesiæ.*

TITVLVS CLXXXV.

**P**RIMÒ, Augustinus de vnico baptismo  
 contra Petilianum, cap. 9. Et Episto. 171.  
 Christus totum orbem redemit, ideò so  
 la vna est Catholica Ecclesia, per totum  
 orbem diffusa, 1. Timot. 2. Deus vult om  
 nes homines saluos fieri. Contra Petilianum inquit:  
 Hoc à maioribus traditum accepimus, hoc in Eccle  
 sia Catholica, quæ toto orbe diffunditur, custodimus  
 & facimus, hoc contra omnes nebulas falsitatis de  
 fendimus: si quis extra vnitatem ecclesiæ fuerit  
 baptizatus, inesse illi quidē baptismum sed non pro  
 desse propter labem schismatis & discordiæ, Mat. 5. in  
 quit Christus: Vade primùm reconciliari fratri tuo,  
 1. Corint. 13. Si habuero omnem fidem &c. Et libr. 4.  
 contra Donatistas cap, 18. Hæreticus extra Ecclesiam  
 licet;

licet aliqui sit vir bonus, probus, in nullo reprobabilis vitio quo ad homines, solum tamen peccatum schismatis facit, vt non saluetur: quia hoc est contra charitatis vnionem, sicut etiam malus Christianus intra Ecclesiam, contra fidem viuens & Dei præcepta non saluabitur, Gal. 5. 1. Cor. 6. Et Epistola 165. Si angelus de cælo veniret, & diceret, suscipe patres Donati, extra vnitatē Ecclesiæ, anathema est.

Secundò, Cyprianus Martyr aduersus Nouatianū hæreticum: Si potuit euadere, qui extra arcam Noe fuit, Genes. 7. Et qui extra Ecclesiam est, euadet damnationem. Quisquis igitur ab Ecclesia Catholica adulterè iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur: alienus est, hostis est: Nec habere potest Deum in patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.

Item, qui charitatē non habet, nec Deum habet, quia Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet. 1. Ioan. 4. Cum Deo ergo non manent, qui in Ecclesia vnanimis esse nolunt. Et iterum: Ardeant licet flamma ignis, obiecti bestijs moriantur pro secta sua: non erit illis corona martyrij, sed pena perfidiæ. Labes illa schismatis sanguine non diluitur. Secundò, Prophetent in nomine Christi, expellat dæmonia, faciant miracula, nō agnoscit eos Dominus, Matth. 7. sed vocat potius operarios iniquitatis. Tertiò, inquit Christus Matth. 12. Qui non est mecum, id est, in vnitatē ouium mearum, in vno ouili, aduersum me est. Et qui non colligit mecum, id est, facit opera bona in vnitatē Christi & corporis sui, dispergit, sicut etiam Apostolus dicit 1. Corint. 13. Si habuerit omnem fidem, &c.

Irenæus aduersus hæreses Valentini, cap. 62. Iudicabit Deus eos, qui schismata operantur: illi nō habent dilectionem, & suam vtilitate potius considerant, quàm vnitatem Ecclesiæ, & propter modicas & quaslibet causas, magnū & gloriosum Christi cor-

pus conscindunt, 1. Cor. 12. Et quantum in ipsis est, in  
 terficiunt, pacē loquentes & bellum operantes. Nec  
 peccatū est aliud quod facere possunt, quā est schif-  
 matis. Iudicabit autem Deus, id est, condemnabit o-  
 mnes, qui sūt extra vnitatē Ecclesiæ, &c. Erasmus in  
 præfatione libror. S. Irenæi; Deus non est author dis-  
 sensionum, sed pacis, qui per filium suum pacificauit  
 ea, quæ in cælis, & quæ in terris sunt, Coloss. 1. Ergo  
 qui concutiunt orbem dissidijs, parentem habent e-  
 um, qui prius seuit discordiam inter Deum & homi-  
 nem, Genes. 3. Hic segetem Euangelicæ doctrinæ vi-  
 tiauit Matth. 13. per sua zizania. Tales ergo quomo-  
 do erunt in via salutis, & de amicabili concordia in  
 Psalm. 83. Impijs, qui in religione ac fidei dogmati-  
 bus dissentiūt, nullū est cōmune tabernaculū, sed im-  
 pii cū impijs dissidēt varijs modis &c. Sectæ dicūt,  
 nos sumus vera Ecclesia. Sic Iudæi dixerunt Christo,  
 Nos sumus filij Abrahæ, Io. 8. at Iesus: Si essetis filij  
 Abrahæ, tunc etiam opera faceretis Abrahæ. Si sectæ  
 essent Ecclesia, etiam seruarent vnitatem & obedi-  
 tiam, &c.

### DIFFERENTIA INTER

*Ecclesiam catholicam & schismaticam.*

### TITVLVS CLXXXVI

**P**RIMO, Ecclesia catholica est congrega-  
 tio, quæ vnanimitè per totum orbem  
 credit in Christum, & conformiter vti-  
 tur sacramentis, & dicitur idè catholi-  
 ca, id est, vniuersalis quod per totum or-  
 bem cit diffusa, Psalm. 106, & 112. A solis ortu vsque  
 ad occiduum. Genes. 22. In semine tuo benedicentur  
 omnes gentes. Marc. vltim. Ite in mundū vniuersum  
 &c. Vera ergo Ecclesia per totum orbem est diffusa,  
 & non est nisi vna Ecclesia, vnum corpus, 1. Corinth.  
 12, Vnū ouile, Ioan. 20. Vnus panis. 1. Cor 10. vna ar-